



V. 2. a

4, 52

290.



50
Q. F. F. Q. S.

Ad

ORATIONEM SOLENNEM,

de

Acrostichide illustri,
IHCOCYCXPEICTOC
ΘEOY YIOC CΩTHP
CTAYPOC,

Sibyllinis uindicanda Oraculis,

muneris suscepti causa,

cras ab H. I X. in Auditorio maiore

rite habendam,

Senatum Academiae Civesque

obseruantia, quanta potest, maxima,

& humanitate

inuitat

GEORG. GVILIELMVS KIRCHMAIERVS,

Graecarum literarum Professor Publicus.



VVITTEBERGAE SAXONUM,

Typis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.

A.R.G. clō Is cc l



Vod si foret tantum autoritate
standum magnorum uirorum, qui haud
dubie principes ingenii ac doctrinae reconditae
extiterunt, Oraculorum Sibyllinorum, prout ho-
die proponuntur ante oculos, dignitatem a con-
temptione uindicare, facile quis superfedere posset.

Haec enim nullo loco numeroque habent Opsopoeus, Ios.
Scaliger, Casaubonus, Salmasius, Henr. Valesius, Vossius
prior, Boeclerus, Daumius, ut de Blondelli, Reinesii, Petiti,
Gallaei, Marckii, Antonii uan Dale, separatim, ac ex instituto,
nauata huic rei quam diligentissima scribendi opera nihil ad-
moneam, pluresque silentio prorsus praetermittam. Quorum
sententiae nostratium nonnulli diuinius scripturae argu-
mentis pondus afferunt, eamque sic corroborasse sibi uiden-
tur. Itaque, si est auctoritati cedendum, quae saepe praestrin-
gere solet aciem ingenii omnem, octo illi libri, Sibyllarum
praefensiones atque praedictiones futurorum complexi,
quos elegantissime pariter ac emendatissime, collectis in u-
num doctissimi cuiusque commentationibus, edidisse se,
Seruatius Gallaeus opinatur, sunt pro hominis, Christi sacris
initiati, commentis, quin immo pro deliracione impie non-
nunquam sentientis, sine controversia putandi. Ex quo
factum, ut Erasmo Schmidio uerteretur uitio, quod tribus o-
rationibus pro ipsorum integritate propugnauerit, haud ue-
ritus asseuerare, uaticinationes illas esse fatidicarum effata,
nec a seculo secundo, sicut Vossio maiori, Valesio, Ludo-
uico Ellies du Pin, aliis, uidetur, sed altius, & ab ultimis poti-
us renascentis per Noham humani generis temporibus, re-
petendas. De iis conatibus ad Patrem meum desideratis-
simum hanc in sententiam quondam Boeclerus scripsit:

*Quomodo Erasmus Schmidius, Vir profecto erudi-
tissimus, inductus sit, ut crederet, Oracula illa
Graeca, quae Sibyllarum nomen hodie praefe-
runt, genuina esse, cuperem nosse, si quis forte
studia viri, & consilia meminit, aut a patribus ac-
cepit. Praeterquam enim quod sunt illis, quae
apud antiquissimos scriptores legimus, fragmen-
tis dissimilia, multa ignoret necesse est, plura cre-
dat,*

dat, qui pro genuinis habere potest. Forte aliorum palato uoluit inservire. Et licuit quaedam scribere superiori aetate, quae, oborta majori rariorum literarum luce, hodie parum pro excusatis accipiantur. Equidem ego circumspicis cunctis, quae ad rem pertinent, momenti, rationibusque subductis, summam faciam cogitationum, eamque sic exponam. Primum in disceptationem quaestionemque uocatur, quisnam uerus sit ac germanus librorum, qui in manibus uersantur, Sibyllinorum autor? Deinde, utrum furore a daemone inflammato, an afflatu quodam diuino scripti, aut carmina talia, fusa? Non incommodum uero uidetur, generatim in praefens docere, simulque ingenue fateri, ne utriquam operae pretium facere, qui certum feminarum diuinantium numerum, patriam, parentes, aetatem, propter plenam fabulis uetustatem confusa, inuestigare non minus ac explicare anxie student. Eius rei molestum ualde suscepit laborem Petrus Petitus, Philosophus ac Medicus Parisiensis praefantissimus. Neque dum satis constat, num una fuerit, pro locorum uarietate, exempli gratia Comarum, Etythrarum, aliter atque aliter appellata: an plures, quippe cum Laetantio, praefidiis multorum instructo, semel iterumque posterius approbetur. Assensu hanc sententiam suo Gallaeus confirmat, quem uirum alias eo magis fide dignum existimo, quo exploratius mihi testatiusque est, tum in notis, tum in uolumine singulari de oraculis Sibyll. Salmafii, Graece doctissimorum tenentis principatum, schedis, diuino aliquo munere concessis oblatisque, pro suis sapienter usum, augustis ex fontibus riuiolos duxisse, ac hortulos iucundiores irrigasse. Ceterum Postellus, iusto longius progressus, appellationem, illarum fere propriam, quae apud Graecos celebrabantur, per omnes prope gentes *καταχρηστικῶς* transfert, ac tali pacto infinitam multitudinem perperam constat, uti patet ex opere *de originibus, siue de uaria, & potissimum orbi Latino ad hanc diem incognita, aut inconsiderata historia.* Quandoquidem uero illud praefulsi & praemunivi, contendique paulo ante, in obscuris id genus exquirendis oleum & operam perdi, cum laudatis Schmidio & Postello non e Nohae familia nominatim

ora-

oraculorum autorem citari acceſſique iubeamus. Sufficiat intellexiſſe, feminas fuiſſe, uacinationi facultate praeditas, quarum, inſignium Sibyllarum uocabulo, mentionem literarum monumenta, Graeca perinde ac Latina, faciunt frequentiffime. Harum uerſus, comprehenſos nouem libris, Tarquinius mulier neſcio quae emendi copiam fecit, ſed, iniquiſſimum ob pretium, faceſſere hinc iuſſa, non ſtomachum magis, quam riſum, deliranti ſimilis, fecit. Rediit aliquanto poſt, parte tertia combuſta, reſiduos tanti, quanti modo omnes, uendere conata, pari tamen modo reiecta, iterumque ac tertium, tribus igne deletis, acceſſit, nec reliquiis parſura, niſi emtor cumulatiffime ſatisfaceret poſtulato. Tum demum religione tactus Tarquinius, ac reſponſis augurum conſultorum permotus, ad aſſem ſummam perſoluit. Mihi temperare non poſſum, quin, nondum de huius Regis cognomine conueniſſe inter eruditos, in tranſitu memorem pariter ac ſtatuam, ſuperiorem narrationem ad Superbum pertinere, non Priſcium, quod Varronem Dionyſius Halicarnaenſis, grauiffimus ſcriptor, cum Plinio ac Gellio, idoneis iuſtisque cauſis adductus, correxiſſe uidetur. Nec Solini, futile auctoris, nullumque habentis apud prudentes pondus, turpis error iure obiici poſteſt. Etenim modo huic ipſi, cui Superbo nomen facta indiderunt, rem ſupra commemoratam is tribuit, qui Plinii hiftoriam naturalem ratione proſus inepta, iudicii que experte, compilauit, modo Olympiade quinquageſima id accidiſſe ſcriptum reliquit, in quam certe regnantis Priſci aetatem incidiſſe conſtat. Adeoque ſibi ipſe repugnat, & uberrimam ad notandum acerbis, caſtigandumque materiam in Exercitat. Plinianis Salmatio praebet. Sed ad propoſitum reuertor, unde paulisper declinaui. Codicibus ſanctiſſime cuſtodiendis praefecerunt, & ſummam eorum curam ſanciuerunt capitis periculo Romani, edito feueritatis exemplo in Attilium, cauentes, ne quicquam oraculorum in uulguſ emanaret, nec temere prius inſpicerentur, quam Senatus, prodigio aliquo commonitus, aut alia fatali neceſſitate coactus, iuſſiſſet. Tandem aede Iouis Capitolini, ubi ſeruabantur abſtruſi ac reconditi, incendio deflagante, ſimul perierunt. Id quod tum uſu ueniſſe legitur, cum Romana Reſpublica, Syllanis temporibus, domeſtico bello conſictaretur. Sed enim uero de-

car-

carminibus adhuc expositis, tantum abest, ut quispiam dubitet, sincerane sint, ut potius ad unum omnes confirmentur, feminis ista tribuenda, quae, diaboli administreae, futura Vrbis fata furibundae praedixerunt. Controuersiae quidem nostrae summa haec est, an oracula Sibyllina, quae literis prodita, nobisque ueluti per manus tradita sunt, ab hominibus, ex Christi schola profectis, sine exceptione conficta recte dicantur? Negantem hic sententiam tuebor, autoribus, a uero Numinis cultu remotis, haec asserturus, ita tamen, ut, scitu quid maxime necessarium, praemoneam, praecaueamque, ne promiscue de uniuersis id accipiatur. Namque non pauca, fateor, eodem uolumine continentur, quibus merito fides derogatur, nec, si vel cunctas ingenii vires in ea re consumseris, quicquam roboris adiacere ualebis. Mittamus ergo cum otiosorum, tum praefertim opinionum monstra, ad scripturae diuinius normam minime dirigentium, deliramenta. Non autem continuo reliqua in suppositis, commentitiis, falsis, numeremus licet, quippe quae, ut est apud Tacitum, ex Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam, & Italicas colonias, ingenti apparatu conquisita, dein Augusti iussu, priuatis a publicis quam diligentissime separatis, illisque, cum autoritatis dubiae scriptis, abolitis, sacerdotum summo, semel iterumque, delecta & perspecta iudicio sunt, autore Suetonio, ut adeo iactura, facta ignis iniuria, collectis longe lateque reliquiis, resarciretur. Quorum manifesta etiamnum uestigia partim in profanis, ante natum Seruatorem, partim in Christianis doctoribus, non credulis, nec fraudis nomine suspectis, apparent. Ac ne, his positis approbatisque, ingenio uidear indulgisse, prodeat in medium Barthius, cui librorum helluoni nemo criticorum antefertur, pauci pares putantur, luculentissimumque mihi testimonium alias suppeditet. Ab eiusdem mente Buchnerus ac Mothofius, nobilissimum illud polyhistorum par, propius absunt, cum, singulari adhibita cautione ac temperamento, effata saepius nominata non prorsus explodunt, sed interpolata, id est, demtis adiectisque nonnullis mutata, scribunt. Extra hos terminos, rectori sententiae constitutos, Schmidius, Onuphrius Panuinius, Possseuinus, alii, longius egrediuntur, siquidem uera a falsis non discernunt, & peraeque de singulis uaticinationibus iudicant. Laudandus quoque nunc foret Craffetus, Loio-liticae sodalitati adscriptus, ab Huetio in Demonstr. Euang.

commendatus, nisi, dictione calamitatis iniusta, frustraretur
legentis expectationem, quoniam in re seria ludit, suis-
que superstitionibus anilibus, quibus sacra Pontificis abun-
dant, pueriliter ineptit uerius, quam pugnat, aut ratiocina-
tur. Idcirco cum primis a Gallaeo dignis modis, ac, in per-
politiss huius argumenti dissertationibus, dedita opera no-
tatur. Veinam CL. Vir limatissimas Salmasii lucubrati-
ones, ad quas sciendi cupidos in Exercit. Plin. passim delegat,
si quae fauoris fortunae beneficio obtigerunt, cum erudi-
torum republica liberaliter communicasset, ingentem fuisse
ab ea gratiam initurus. Porro non praeteriri debet Isaacus
Vossius, cuius argumenta, paucis exceptis erroribus,
nequaquam spernenda, num accurate Marckius, Doctor
Theologus Groeningensis, simul cum Io. Reiskio, conuel-
serit ac refutarit, suo loco ueniet in disquisitionem. Sequi-
tur demum Iureconsultissimus Daniel Clafenius, cuius sane
haud uulgaris eruditio, iudiciiue bonitas elucet in uolu-
mine spisso de oraculis uniuerse, sigillatim de Sibyllinis stu-
diose operoseque elucubrato, ubi rationum examinatis ut-
trique ponderibus, nostris non obscure assentiri uide-
tur. Iam tandem in mentem uenit recordari propositi
mei, quod, quid hac in re uerum sincerumque insit, perqui-
rendi, & autoritatibus posthabitis, ipsa momenta distincte
ponderandi necessitatem imponit. Ac primo quidem omni-
um perspicere nostra maximi refert, alia ratione in euer-
tendis Sibyllarum uersibus diuinarum rerum peritum, seu
theologum, desudare, alia, nostra memoria extantes, ab eo
impugnari, cuius partes ducuntur, ex scribendi genere de
literarum monumentis apte, artisque legibus conuenienter
pronunciare. Illius profecto longe acerrimus est impetus,
uix ut sustineri possit. Huius serupuli leuiter stimulant &
pungunt. Utrosque certe in tanta uarietate ac dissensione
uideas constitutos, ut, nisi subtilius, remotis opinionum
praeiudicatarum impedimentis, ueritatem limes, paulo mo-
mento huc illuc distrahare. Gerhardus enim & Hulse-
mannus, ne plures nostratium proferam, ea nihili faciunt,
nec aliter, ac *Reformati* seueriores, delectu omni, dis-
crimineque remoto, durius reiciunt, quae Calouius, ma-
gni uir nominis, itemque Franzius, quodammodo ample-
xi, tuta uia sine casu aliquo & prolapsione ingrediuntur.,
Ios. Scaliger eadem a carminibus istis sic abhorruit, ut, quotiescum-
que ea legeret, in sterquilinio sibi uersari uideretur. E contra

217.
rio Michael Neander, Lusitaniae inferioris, non Silesiae, ut Koenigius pariter cum Quenstedio tradit, magnum decus, ex Sibyllinis poeseos Graecae studio adiuventa subministrat, & elegantissimis loquendi formulis, epithetisque ac aliis orationis numeris uinctae luminibus & flosculis, opera ad hoc usus discipuli Vollandi, eam locupletat. Ut profecto mirum non sit, si quispiam dubitet, utri plus tribuendum. Patrem certe filiumque Scaligeros poetarum Graccorum, suo tempore, hic facile princeps superauit, praesertim ubi epigrammatis faciendis operam nauauit, ingentibus literatum in orbem beneficiis promeritus, ut a Morhofio communis Germaniae praeceptoris elogio iure cohonestaretur. Haud secus de poematibus iudicat Schmidius noster, idoneus elegantiae existimator, quippe quae cum exquisitis Homeri laudibus exaequat. Sed, cum firmamentis, in utramque partem excutiendis, sedem & quasi domicilium ipsamet oratio solennis praebet, ad alteram quaestionem, institutum flagitat, ut iusto ordine festinem, utrum Sibyllae cacodaemonis, an diuino potius afflatu diuinaret? Dici non potest, quantum negotii multo difficilima haec disputatio facillat. Equidem, etsi tum ueterum, tum recentiorum, sententiae, qui partim minus caute sine ulla dubitatione aiunt, partim negant, prout ipsis rationes suppeditant, nihil detractum uelim, sentio tamen, ac sic animum induco, quicquid mysteriorum, uerbi causa, de Christo, protulerunt, illud neque ex sacro codice, neque usu consuetudineque Hebraeorum, neque fama, neque diaboli instinctu, uerum coelesti aliqua ui ac numine plane singulari perceptum uates habuisse. Ne cui dictu nefas id uideatur, confidere: quaeso, Bileamum atque Caipham, quorum alter ceremoniarum religionibusque deorum inscruuius, ut grauiora taceam, alter iniurias Seruatori, morti uicino, fecit, utrisque tamen imprudentibus nolentibusque, uoces plenas memorabilium uaticiniorum ex ipsorum ore scimus exisse. Huc etiam somnia Pharaonis, Nabuchodonosoris, Pilati uxoris, satis commode referuntur. Argumento nunc ex L.IX. Or. Sibyll. sic illustris Acrostichis, IESVS CHREISTVS, SERVATOR, CRVX, ubi e uersuum principiis, quos polite reddidit Latine Sebastianus Castalio, collectae literae talem sententiam pulcherrime contexunt. Liceat in praefens, Geometrarum more, postulare, ut ad explicanda melius mentis sensa, concedatur, quod alio loco fulius demonstrabimus, productam magni ponderis *ανεσχηδα* eandem ipsam esse, quam uidit legitque, minus tamen intellexit, Cicero, uti ex libro II. de diuinat. pag. m. 1230. edit. Schreui. apparet. Hoc ante constituto, ecquis praehiementer confirmare ausit, effectum tam clarum a daemone tunc profectum. Praeterea diserte Tullius ait, non a furente fufum istud carmen, idque resiflime ostendit. Nam faidica, quoad diuino spiritu afflabatur, integra semper mente sibi constabat, nec, uelut *Ψυχία παντεσομένη*, ab inferis in rabiem impulsā, humanos amittebat sensus, corporisque partibus horribilem in modum & obscene distortis, perplexae futura praefagebat. Eo autem dementiae non prolabor, ut istam in
fac-

sacerdotum summi Dei numero ponam, & Augustino, licet secum saepius
 pugnant, Eusebioque assentiar. Neque nimias Iustini laudes probo, tan-
 toque minus illis consentio, qui tirabant, nihilque certi definire audent.
 Ipsi saltem plus, quam simulacrum aliquod, & quasi umbram *αὐτοῦ Θεοῦ*, ex-
 cellentioris, largiamur, quam a diuinatione longe diuersam Bodinus in
 daemon. & Chryostomus hom. XXIX. 1. ad Cor. XII. egregie declarant.
 Verum enim uero, quae adhuc a me dicta sunt, eo collata uelim, ut, de fatis
 proprie uereque Sibyllinis mitius moderatiusue ferre iudicium, neque
 absurdum esse, neque a pietate remotum, intelligatur, ne tot antiquis-
 simorum coetus, Christum sancte colentis, Patrum, Iustini Martyris,
 Athenagorae, Theophili Antiocheni, Clementis Alexandrini, Arnobii, Eu-
 sebio, Ambrosii, Greg. Nazianzeni, Hieronymi, Augustini, testimonia, pro-
 spero euentu, hostibus, sapientissimis aequae ac cultui & religioni purae
 Christianorum infentissimis, conuincendis adhibita, pro ludo iocoque,
 habeantur, ut ea maxime P. Petrus eludere annitur, aut redarguantur
 idem sentientes, ad confirmandam benignissimi Numinis inuitatio-
 nem, salutis aeternae causa, uniuersum terrarum orbem personanem,
εἰς τὴν ἐνεαυτῶν (ἀποθνήσκουσιν) ἀναπαύσασθαι. Hic inprimis, celeberrimi Theo-
 logi, Tobiae Vagneri, Inquisitio in Or. Sibyll. de Christo, adeatur. Vbe-
 rius porro ea de re grauisimorum in confesso uiuorum dicendi Numen
 O. M. occasionem dedit, quod me, pro immensa infinitaque benignitate,
 morte Parentis afflictum recreauit. Namque eius nutu, quo omnium
 fortunae moderatur, factum, ut iussu *Serenissimi ac Potentissimi* DOMINI,
 DN. FRIDERICI AVGVSTI, Regis Poloniarum, Magni Ducis Liebauinae,
 Russiae, Prussiae, Masouiae, Samogoniae, Kiouiae, Volhiniae, Podoliae,
 Podlachiae, Liouoniae, Smolensciae, Seueriae, Czernicouiae, &c. &c. &c.
 Ducis Saxoniae, Iuliaci, Cluinae & Montium, Angriae & Westphaliae, S. R. I.
 Archimaresbaldi atque Electoris, Landgrauii Thuringiae, Marchionis Misisiae, &
 utriusque Lusatae, Burgrauii Magdeburgi, Comitis Principali dignitate Henneber-
 giae, Comitis Marcae, Rauensbergae ac Barby, Dynastae Rauensleinii, &c. &c. &c.
 Domini clementissimi, iussu, inquam, eius, insigni cum indulgentia coniun-
 cto, munus eloquentiae, extra ordinem ad hoc usque tempus obitum
 pro virili, cum ordinario commutarem, adeoque prouinciam, quae hu-
 manitatem doctrinasque Graecas tractat, a SCHVRZFLEISCHIO, V. C.
 depositam, obtinerem. Secundum maximos salutis principes & auto-
 res, non parum me amplissimi Philosophorum ordinis, item Acade-
 miae commendationi debere, gratus profiteor, cupide laboraturus, e-
 ruditorum expectationem ut sustineam, uosque, amantissimi Iuuenes,
 industriae meae, in explanandis cuiusque generis scriptoribus, qua fac-
 ris, qua profanis, ponendae, fructus non tenues percipiat. Eius insti-
 tuti initium auspicato facturus significo, publice EPISTOLAM AD RO-
 MANOS a Paulo scriptam me, perinde ut philologum non minus ac theo-
 logum decet, in Auditorio minore ab H. I. X. interpretatum fore. Cete-
 rum, quando, more maiorum, de Acrostichide illa, Sibyllinis vindicanda o-
 racialis, *ἡσκότῃ χρεῖστον θεοῦ τὸν καθ' ἑαυτὸν*, orationem, &
 temporis, in finitis laboribus, cruciatibus, aerumnis, morti denique aeterra-
 mae, se exponenti Iesu sacro, & studiis meis aptissimam, recitare animum
 induxi, uestram beneuolentiam, RECTOR MAGNIFICE, Perillustres LIT.
 BARONES, ac Patres Academiae, audiendi causa, uehementer obtestor.
 Nolite, quaeso, huic deesse, qui de perfecta saepius tam propensa uolun-
 tate, prolixè sibi cumulateque eximia quaeuis & honorifica promittit, ac
 tale deinceps studium immortalis memoria complectetur, nec ullum
 praedicandi locum praetermittet. Vos ad extremum, lectissimi Cines,
 tamen si, pro ea, qua literas elegantiores, ad dignitatis, & cuiuslibet aetatis
 ornamento, discendi cupiditate exarsistis, frequentes solennibus ulro
 interfuturos confidere possum, tamen ego per officiose rogo, ut promte
 conueniatis, & uerba facientem, uestri commodi perstudium, beneuole
 audiatis. P. P. Dominica PALMARVM, A. R. G. c1o 1o ccl.

Pom

Ge 3656

20

ULB Halle
001 500 848



3

sb.

①

Handwritten notes at the bottom right corner, including the word "Vorw" and some illegible scribbles.





Q. F. F. Q. S.

Ad

ORATIONEM SOLEMNEM,

de

Acrostichide illustri,

IHCOYC XPEICTOC

ΘEOY YIOC

CTAYPO

Sibyllinis uindicand

muneris suscepti

cras ab H. I X. in Audit

rite habendam,

Senatum Academiae

obseruantia, quanta pot

& humanitate

inuitat

GEORG. GVILIELMVS KI

Graecarum literarum Profe



VVITTEBERGAE SA

Typis CHRISTIANI SCHROED

A.R.G. clō Is ccI

